68
13 D
63

ARISTOTELIS STAGIRITAE. OECONOMICORVM LIBER. VNVS. MVTILVS.

Iacobo Lodoico Strebaeo interprete: Cuius in-
terpretationem M. Antonius Muretus
locis aliquot emendauit.



BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

R O M AE,
Apud Haeredes Antonii Bladii Impreſſores Camerales.
M. D. LXXVII.
Permiſſu Superiorum.

5.20.F.54.

DISCIPLINA *rei familiaris à ciuili ſcientia non ſolum tam differt quàm domus à ciuitate (nam domus & ciuitas eſt ſubiecta quaſi materia duabus his artibus) uerumetiam quòd adminiſtratio ciuitatis, ad plures magiſtratus: domus autem rectio, ad vnius imperium pertinet. Ac ſunt quidem artes quaedam diſtinctae: in quibus nõ eſt eiuſdem opus efficere, & uti facto, ut lyra & tibijs. Ciuilis autem ſcientiae eſt, & ab initio conſtituere ciuitatem, & bene & ratione uti conſtituta. Vnde planum fit, eſſe diſciplinae rei familiaris, & domum comparare, & prudenter uti comparata. Ergo ciuitas quidem eſt domorum multitudo, cui & agri & rei ſatis eſt ad bene uiuendum. Conſtat autem ita eſſe: uel ex eo, quòd ſi id aſſequi non poſſunt, dirimitur ſocietas. Atque etiam ea de cauſa coeunt. Id autem eſt ipſa cuiuſque rei ſubſtantia, propter quod ea res eſt, atque facta eſt. Apparet igitur rei familiaris artem ciuili diſciplina eſſe ortu priorem. Nam & opus eius prius eſt. Domus enim eſt pars ciuitatis. Itaque de ratione tuendae rei familiaris, & quod ſit eius munus, uidendum eſt. Domus partes ſunt, homo, & res quae poſſidentur. Quando autem principio natura cuiuſque rei minimis in partibus ſpectatur, hoc quoque modo natura domus eſt conſideranda. Vt uult igitur Heſiodus,*

Primum aedes, mulierq;, & bos habeatur arator.

Hic enim primum uictus & alimẽti gratia comparandus: illa uero liberorũ cauſa. Debet igitur oeconomiae peritus uxoris conſociationẽ recte & prudenter inſtituere, hoc eſt parare, et talẽ qualis eſſe debet, efficere. Facultatum autem prima cura, ea quae ſecundum naturam eſt. In ijs artibus autẽ quae ſecundum naturã ſunt, priorẽ obtinet locum ratio agri colendi: alterum uero, quaecunq; e terra aliquid exquirũt, ut ea quae metalla eruit,

& ſi quae ſunt aliae generis eiuſdem. Sed agriculturae prima laus eſt, propterea quòd iure nititur, ac iuſtitia. Non enim rem quaerit ab hominibus, aut non inuitis, ut ars cauponum & mercnariorum, aut inuitis, ut bellicae. Cui iunge & illud, eſſe ſecundum naturam, quia natura comparatum eſt ut a matre ſit omnibus alimẽtum. Eſt igitur hominibus a terra. Praeterea ad laborum tolerantiam ac fortitudinem perutilis eſt. non.n. ſicut artes ſordidae, ita corpora infirma & inutilia facit, ſed quae ſub dio manere, laborare, atque etiam aduerſus hoſtes adire periculum poſſint. Nam ſoli agricolae res ſuas extra munitiones habent.

In hominum autem genere curando, prima uxori adhibenda curatio. Societas enim feminae & mari maxime naturalis eſt. Huius rei fundamentum a nobis alibi poſitum eſt, naturam cupere talia multa procreare, qualia produxit, ut in quoq; genere animalia. At fieri non poteſt ut hoc femina ſine mare, aut mas ſine femina perficiat. Quamobrem ſocietas illorum neceſſaria eſt. Idque in alijs quidem animantibus nulla ratione ducet; & naturae tantum impulſu, & ſolum procreãdae ſobolis gratia coeunt. In cicuribus autem, & in ijs quibus eſt plus cuiuſdam prudentiae, perſpicua magis atq; manifeſta ſocietas, quia magis elucent mutua auxilia, beneuolentia, labores, & operae communes. In homine uero maxime perſpicitur haec coniunctio, quòd mas & femina, non ſolum ut ſint, ſed etiam ut bene ſint, inter ſe dant operam. Et habentur liberi non modo ut naturae ſeruiatur, uerumetiam ut inde capiatur utilitas. Nam quae parentes, quum uires haberent, labore ſuo in aetatem liberorũ imbecillam contulerunt: debilitati ſenectute, & uiribus deſtituti, a ualentibus quaſi depoſita recuperant. Adde quòd & hoc ambitu ac tamquam orbe natura ſupplet aeternitatem, ſi non ſingulorum numero, at certe ſpecie conſeruata. Sic diuinitus natura utriuſq; & uiri & mulieris ad coniunctionem ſocietatemq; praeparata eſt. Diſtincta enim eſt ne eſſet utriq; ad eadem omnia ſimiliter utilis & idonea facultas, ſed in quibuſdam ad contraria, quae tamen eodem contenderent, apta. Alterum ualentiorem, alteram

minus

minus robuſtam fecit, ut haec adducta metu diligentius aduigilet ad cuſtodiam rerũ: ille fortitudine praeditus ſit animoſior ad propulſandam iniuriam: ut ille rem quærat foris, atque domum importet: hæc intus ſit, & importata conſeruet. In opere autem faciundo, quum ſit haec infirmior, quam quae foris agere, & in ijs quae ſub dio fiũt, uerſari poſſit, conſtantius tamen eſſe domi quam uir, & in eadem ſede permanere poteſt. Ille ad opera quieta minus aptus, ad res laborioſas, moleſtas, operoſas, roboris eſt atq; temperamenti ſalubrioris. Liberos communiter procreant, non item cõmuniter educant, ſed in eos propria ſunt huius & illius adiumenta. Alere matrum eſt, erudire patrum.

Primum igitur ſibi leges imponat uir de uxore tractanda: & illi ne faciat iniuriam. Sic enim fiet ut ab ea nullam patiatur ipſe. Nos ad hoc & lex communis hortatur, ut aiunt Pythagorei, quamminimè oportere uideri iniuriam facere cuiquam, quemadmodum ſupplici, & quae a lare ſit abducta. Violat autem iura coniugis uir cui ſunt externi concubitus. De congreſſione lex altera, ut nec egeãt praeſentes, nec abſentibus quieſcere nõ poſſint: ſed ita aſſueſcendum, ut & praeſentiam & abſentiam coniugis aequo animo ferat. Hoc autem praeclarè ſuadet Heſiodus.

Vt mores doceas pulchros, tibi uirgo ſit uxor. Nam morum diſſimilitudo diſſociat amicitias. De corporis ornatu ſit haec praeceptio Vt ne moribus quidem ſuperbis & arrogantibus inter ſe coniuges uti debent, ita neque immoderato corporis cultu & ornatu. Congreſſus autem iſte ex ornatus oſtentatione glorioſa, nihil ab eo differt qui eſt in ſcaena tragaedorum.

In ijs autem rebus quae poſſidentur, illud quidem eſt primum, maximeque neceſſarium, quod optimum, quodq; principatu digniſſimum. Hoc uerò homo eſt. Primum igitur danda opera eſt, ut ſeruos efficiamus bonos. Seruorum autem duae ſunt ſpecies: diſpenſator & operarius. Quoniam igitur uidemus iuuenes, prout educãtur, tales euadere; neceſſe eſt & parare & alere eos quibus liberaliora munera mandanda ſunt.

Cum

Cum ſeruis autem dominus ita uerſetur, ut neque improbos fieri atque petulantes, neque licentia diſſoluta & immodica libertate diffluere patiatur: & ijs quibus eſt animus liberalior, honorem; ijs qui uiliores dant operas, alimenti copiam tribuat. Quòd autem uini potus non ſeruos modo, uerum etiam liberos, petulantes & contumelioſos efficit, multaeq; nationes liberae vino ſe abſtinent, ut militiae Carthaginiéſes, perſpicuum eſt aut nihil eius aut parum ſeruis eſſe tradendum. Et quum tria ad illos pertineant, opus, caſtigatio, alimentum: ſi caſtigatio laborque deeſt, alimentum uerò ſuppetit, contumeliam gignit. Labores autem & animaduerſiones ſine alimento, uim afferunt, & omneis adimunt uires. Supereſt igitur vt dominus operas atque labores imponat, & alimenti quantũ ſatis eſt ſuppeditet. Nam fieri non poteſt ut iis imperet qui mercede careant. Seruo autem merces, alimentum. Ac ſicut alij, ſi meliores meliora non capiunt, nec ulla ſunt praemia uirtutis, & vitij ſupplicia, deteriores fiunt, ita quoque ſerui. Horum igitur habenda ratio, & vnicuique pro dignitate partienda, atque plus minusue laxanda ſunt haec, alimentum, veſtis, intermiſſio laboris, caſtigandi modus: imitandaque tum verbo tum re, medicorum facultas: qui in ratione medicamenti illud quoque conſiderant, alimentum, quia ſemper idem ſuggeritur, non eſſe medicamentum. In ſeruorum autem genere optimi ad opera faciunda ſunt habendi, qui neque plus aequo timidi ſunt, neque plus ſatis animoſi. Neutri enim quod iuſtum eſt faciunt. Etenim plus aequo timidi nihil ſubire audent: animoſi uerò non facile dicto ſunt audientes. Omnibus autem certus finis terminusque conſtituendus eſt. Nam iuſtum eſt ac utile, eſſe praemiũ propoſitum, libertatem. Dabunt enim libenter operam atque laborabũt, quum praemium fuerit propoſitum, tempusque definitum. Suntq; procreatis liberis quaſi pignoribus obſtringendi. Nec plures gentis eiuſdem ut in vrbibus, ſic & in aedibus habendi. Atque propter ſeruos potius quàm liberos ſacra faciũda, & huiuſmodi laetitia atque uoluptas fruẽda. Plura .n. habent eorum propter quae haec lege ac moribus recepta ſunt.

Partes autem oeconomi in pecunia ſunt quatuor. Etenim debet habere quaerendi facultatem, atque ſeruandi. alioqui inutilis eſſet quaerendi ratio. Hoc enim eſt aquam haurire colo, & quod aiunt dolium perforatum. Praeterea ſcire debet ſuo quaeque loco & ordine decenter & apte diſponere: & quum tempus eſt, vtenda depromere. Nam propter haec illis egemus. Diſcrimen autem ſtatuendum eſt inter genera bonorum. Et plura fructuoſa, quàm quae fructum non ferunt, habenda. Negotia atq; operae ſic partiendae ſunt, ut nō una periclitentur uniuerſae. Ad rem familiarem tuendam prodeſt inſtitutis uti Perſicis, & Laconicis; & Attica iuuat oeconomia. Athenienſes enim uendentes emunt, nec in minoribus oeconomiis penum reponunt ac recondunt. Perſica ſunt inſtituta, ut paterfamilias ipſe omnia ſtatuat, omnia inuiſat: id quod & Dion de Dionyſio tyranno dicebat. Nullus enim ſic aliena curat, ut ſua. Debet igitur eniti ut omnia quae poteſt, ipſe curet. Scitum enim eſt quod Perſes quidam, quodq; Libys reſpondiſſe dicitur. Rogatus ille, quid optimum pinguemque maxime faceret equum, Oculus domini, inquit. Libys autem, quum ex eo quaereretur, quod ſtercoris genus optimum putaret, Domini ueſtigia, reſpondit. Sunt igitur alia uidenda curandaq; viro, alia uxori, ut huic & illi munera ſunt oeconomiae diſtributa. Idq; raro in oeconomia exigua tenuiq; faciundum, ſaepius autem in ea quae aliorum diligentiae committitur. Nam niſi qui praeit, id quod alij ſequantur, bene diligenterq; monſtret, nec in alijs rebus, nec in commiſſa procuratione fieri poteſt ut bonos atq; diligentes habeat imitatores. Sic fieri nō poteſt, ſi domini ſint improuidi & neglıgentes, ut eorum praefecti rem diligenter curent. Haec autem quum honeſta pulchraque ſint, & utilia ad rem & augendam, & tuendam, domini prius expergiſci quàm ſerui, & poſterius ſomnum capere debent: nec unquam domum magis quàm magiſtratus urbem, ſine cuſtodia relinquere: nec aliquid eorū quae facienda ſunt nocte dieque praetermittere; idq; bonum, de nocte e lecto ſurgere: propterea quòd hoc utile eſt & ad bonam ualetudinem, & ad

oecono-

oeconomiam, & ad ſtudia philoſophiae. A c paruis quidem in rebus Attica ratio adminiſtrandi fructus eſt utilis: in magnis alia, diuiſis fructibus, & quae in annum, & quae in menſem conſumuntur, ſeparatis. Neque aliter in uaſis ſuppellectiliq. faciundum, ſepoſitis ijs quibus utendum cotidie, & iis quae rarò ſunt uſui. Haec tradenda praefectis. Praeterea ſubinde ex interuallo quae recondideris, inuiſenda, ut quid ſaluum & integrum, quid perditum & imminutum ſit, ſciatur. Q uum autem domus aedificatur, habenda ratio, & rerum quae poſſidentur, & ualetudinis: atq; hominum commoditati iucunditatiq; proſpiciendum. Habenda ratio rerum, vt uidendum qui locus aedium fructibus, reique ueſtiariae commodus futurus ſit, qui fructibus ſiccis, quiq; humidis: & in diuerſo genere rerum, qui animatis, quiq; inanimis, ſeruis & liberis, mulieribus & uiris, peregrinis & ciuibus. Vt hominum commoditati iucunditatiq; & valetudini proſpiciatur, domus ita ſtatuenda, vt aeſtate ſalubres uentos, hieme liberum ſolem facile admittat. Talis erit, ſi antica ad meridiem, poſtica ad ſeptentriones, habeant latera longiora. Vbi autem magnae adminiſtrantur opes, ianitor, cuius in aliis rebus nullus ſit uſus, uidetur utilis, qui quae importantur, & exportantur, obſeruet. Ad expeditum promptumq; ſupellectilis uſum pertinet Laconica diſpoſitio. Inſtrumentum enim quodque ſuo poni loco debet. Q uod enim ſic eſt in promptu, non requiritur.

BIBLIOTECA ROMA VITTORIO EMANUELE